



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De  
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem  
confixione**

**Raynaud, Théophile**

**Lvgdvni, 1653**

XI. Num libri Gentilium, Polytheismum specta[n]tes, improbandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11141**

## EROTEMA XI.

*Num libri Gentilium, etiam Polytheismum  
spectantes, improbandi.*

**H**uiusmodi libros, in se malos esse, quippè mendacissima fabulositate, & nefandissimis narrationibus, ac impietatibus factos, dubitare non licet. Non esse tamen lectoribus noxios, sed omnes penè omnium Ethnicorum libros, exceptis his, qui cum Epicuro literas non didicerunt, eruditionis doctrinæque plenissimos esse, (verba sunt S. Hieronymi *epist. 84. in fine,*) patet iugitot seculorum experimento; quo impunè, & ipsis quoque Patribus autoribus, & hortatoribus, leguntur. 306.

*Patrum suffragium, de fructuosa Christianis Ethnica  
literatura.*

Basiliius præclare in hanc rem disserit initio orationis de modo proficiendi ex libris Gentilium. [Poëtis, (inquit,) & Oratoribus, est omnibus hominibus utendum, unde futura sit aliqua utilitas, quæ ad animæ faciat ædificationem. Velat enim fullones, & tinctoris, qui medicamentis quibusdam remtingendam præparant, atque ita demum colorem quem cupiunt, siue purpureum, siue aliquem alium inducunt: sic & nos si gloria pulchritudinis vitæ huius, quam tantoperè laudamus, illata nobis mansura sit, nisi prius purgati, sacras & arcanas Scripturæ disciplinas, non facile attingemus, aut percipiemus; & quasi solem in aqua videre, assuefacti, sic illi lumini oculos iniiciemus. Quamobrem si nostrorum sermonum, ac Gentilium vlla est convenientia, nobis illorum valdè conferet notitia: sin minùs, eos saltem simul conferendo, differentiam discernere licebit, cum ad melioris optionem, atque delectum non parum comparatio fiat; & inferiora sæpè collata sint potioribus ornamento: veluti plantis quibus propria virtus est fructu pulcherrimo scaterè, folia nihilominùs ramis coniuncta, quendam ferunt ornatum. Sic & animæ, cui præcellens quidem veritas fructus est, non abs re tamen, exteriori sapientia circumdatur, sicuti foliis quibusdam umbram fructui, ac affectum non intempestium præbentibus.]

Nazianzenus grauitè omninò, in S. Basilij laudatione, commendat horum librorum peruoluationem, verbis illis, [Illud inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere. Non de hac nostra solùm, ac nobiliore loquor, quæ contempto omni sermonis lepore, atque ornatu, saluti vni, atque earum rerum quæ ratione, atque animo intelliguntur, pulchritudini arctissimè hæret: sed etiam de externa, quam plerique Christiani, prauo quodam iudicio, vt infidiosam, & periculosam, ac procul à Deo auertentem, aspernantur. Quemadmodum enim cælum, terram, aërem, quæque eorum complexu coercerentur, non idèd contem-  
nere.] 307.

nerere debemus, quia nonnulli ea sceleratè accipiunt; pro Deo, ea quæ Dei sunt, venerantes: quin potius quidquid tum ad vitam, tum ad animi oblectationem vsui est, decerpentes, quidquid periculosum est, fugimus; non res creatas aduersus Creatorem, vt stulti faciunt, concitantes, sed ex rebus conditis conditorem agnoscetes, atque omnem intellectum, vt Apostoli verbis vtat, Christo captiuum submittentés: quemadmodum insuper, nec ignis, nec cibus, nec ferrum, nec res vlla alia suapte natura vel maximè utilis est, vel maximè noxia; verùm vt iis qui vtuntur, placet; atque adeò ex serpentibus bestiis quasdam interdum salutaribus medicamentis admiscemus; eodem nos quoque modo, ex litteris illis, & disciplinis, quod in inquirenda rerum natura & contemplatione versatur, suscepimus: quidquid autem ad Dæmones, & errorem, & exitij voraginem ducit, respuimus. Imò etiam ab eo ad Dei cultum adiuti sumus; nimirum ex deteriori, id quod præstantius est, cognoscetes, atque illorum imbecillitate doctrinam nostram fulcietes. Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda est, quòd ita quibusdam videatur: quin potius stulti, atque imperfecti habendi sunt, qui hoc existimant: qui omnes sui similes esse cupiant, vt priuata eorum inscitia, sub communi deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodar, & coarguat.]

Mox etiam subdit, qui liberalium disciplinarum cognitione, (quæ certè in Ethnicorum libris prostat haurienda,) non sunt imbuti; eos sibi etiam si probitate non destituantur, luscòs videri. At qui probitati eruditionem nexuerint, & quibus velut ambidextris esse contigerit, eos verò esse perbeatos.

308.

Assectatus Theologum Damascenus 4. *fidei* c. 18. autor quidem est, vt efficiamur boni Trapezitæ in lectione horum librorum, prudentèrque diiudicemus aurum à scoria, approbantes quæ in illis vtilia sunt; cætera verò ita legentes, vt repudiemus: quamvis ex his quoque, non parum lucri ad sanctitatem Christianæ doctrinæ, & errorum auersionem, contentione facta vtriusque doctrinæ, erui posse confirmet. Quod monstrant impugnationes Ethnicismi per Patres, ex libris Ethnicorum. Ita enim frequentissimè Ethnicos reuincunt, Arnobius, Tertullianus, Iustinus, Origenes, Eusebius, Theodoretus, Clemens Alexandrinus.

Præterea S. Augustinus 2. *doctr. Christ.* cap. 18. 29. & 40. egregiè disputat pro vsu profanarum literarum, (atque adeò etiam librorum quibus eæ continètur,) ad Christianam doctrinam. Multus item in hac parte est S. Cyrillus 6. *in Iulianum ad textum quartum*, refellens Apostatam, Christianos criminantem, quod vellent, (vt aiebat,) participes esse doctrinæ Græcicæ, arcerent autem suos ab idolothutorum vsu, quasi corporum pabulum nocentius esset Ethnica esca animorum. Hoc S. Cyrillus multipliciter refellit, & quanto iure Christiani, Ethnicorum libros peruolutarent, quantumque inde fructus ad veritatis Christianæ confirmationem haurirent, rectè demonstrat. Sed & Blesensis *epist.* 8. multis confirmat, fas esse de libris Gentilium haurire, quæ prodesse possunt. Et rationem reddit. [Nam nec de herbis quæritur, in qua terra, vel cuius hortolani cura, vel cultura adoleuerint, dummodò vim habeant sanatiuam.] Idem *epist.* 91. [Quia ægrè audis historias, fabulosa interfero. Sed de fabularum Gentilium moralitate, quandoque forma eruditionis elicitur; quoniam fas est, & ab hoste doceri.]

Innumera

Innumera in hanc rem ex variis Patribus, prostant apud Claudium Espen-  
cæum, tractatione *de profectu ex libris Gentilium*, & apud Martinum à Roa  
lib. 5. *singul. à cap. 4.* necnon apud Antonium Peres *ceramine 2. expositio*, &  
apud Zamoram *initio Monarchia mystica*. Quæcunque enim preferunt, qui-  
bus disciplinæ ab Ethnicis traditæ commendantur, eo ipso, Ethnicorum libros  
non esse confingendos, sed posse sine noxa legi, haberique confirmant. Eodem  
modo huc pertinet tota disputatio de impunè citandis à Concionatore legibus  
civilibus, quam conscripsit ante annos 150. Gebennæ F. Ioannes de Marche-  
pallio; in calce enim libelli, declarat se per *leges civiles*, intellexisse *Paganicas  
litteras*, eoque collimat vniuersa disputatio.

309.

*Quibus argumentis, lectio librorum Gentilium, improbari in  
Christianis videatur.*

Videntur adduci in contrarium posse, quæ ab Apostolis decreta contra hu-  
iusmodi libros, refert S. Clemens 1. *constit. c. 6. aliàs 7.* verbis illis. [ Abstine  
ab omnibus libris Gentilium. Quid enim tibi cum alienis sermonibus, aut le-  
gibus, aut falsis Prophetiis, quæ quidem homines leues à fide recta, detor-  
quent? Nam quid in lege Dei desideras, vt ad illa Gentilium scripta animum  
velis appellere? siue enim historias legere cupis, habes libros de Regibus:  
siue Sophistica, id est, quæ argutè ad sapientiam referuntur, & poëtica, habes  
Prophetas, Iob, Prouerbia, in quibus plus acuminis, quàm in omni poësi, &  
sapientia Sophistarum reperies, quòd is, qui solus sapiens est, illa effatus est;  
siue cantilenas expetas, habes Psalmos; siue vetustas rerum origines, habes Ge-  
nesim; siue leges, & præcepta, habes legem Domini celebrem. Ab omnibus  
itaque alienis, & à Diabolo excogitatis, fortiter abstine. ] *Et lib. 2. c. 61.* [ Quid  
verò vis communicari tecum libros Gentilium, qui sunt hominum mortuo-  
rum, qui Diaboli instinctu ea ediderunt; quæ ad inuestigandum, & euer-  
tendum fidem valent, quæque eos qui studium in ipsis collocant, ad ponen-  
dam multitudinem Deorum deferunt? ]

310.

Similiter in Concilio Carthag. IV. *cap. 16.* (& refertur *dist. 37.*) interdicitur  
Episcopis, ( quanto magis aliis? ) lectione librorum Gentilium. Quod confir-  
mat obiurgatio illa acris, qua Sanctus Gregorius *lib. 9. Registræ epist. 47. indict. 4.*  
S. Desiderium Viennensem Episcopum corripuit, cum accepisset; (vtrique per fal-  
sos rumores, opera Brunichildis Regina; eiusque partiariorum sancto Præsuli  
inensissimorum, disseminatos, vt notauit in *Sanctorum Lugdunensium Indicu-  
lo*;) accepisset, inquam, sanctum virum, tradendis literis humanioribus ex li-  
bris Gentilium, distineri. Quod Sanctus Gregorius negat memorari abs se  
absque verecundia posse, quia in vno se ore, cum Iouis laudibus, Christi lau-  
des non capiunt: & quàm graue nefandumque sit, Episcopis canere quod nec  
laico religioso conueniat, considerati etiam atque etiam mandat. Sanctus Pa-  
cianus quod sibi incogitanti, excidisset Maronis hemistichium, notatus est,  
vt rei insolitæ & indecentissimæ, vt ipse refert *epistola ad Sympronianum 2.*

311.

Sanctus Odo, adolescens, iam tamen Clericus, cum Virgilio daret ope-  
ram, conspexit per visum, vas extrinsecus pulcherrimum, re ipsa autem ple-  
num serpentibus; à quibus se citra morsum vallari sensit; agnouitque vas illud

A 2

esse

esse Virgilij opus. Itaque eius lectione abstinet, ut narrat in Sancti viri vita c. 3. Ioannes eius discipulus. Quæ Sanctus Hieronymus *epist.* 22. de diuinitus castigato suo in Ciceronem studio refert, vulgatissima sunt; nec est, quod hinc cum nausea reperantur. Valent hinc etiam illa à Theophilo Antiocheno *lib.* 2. ad *Auol. ante medium*, in quascunque Ethnicorum disciplinas intorta; quanto magis in admittas polytheismo? [horum sermo, (inquit,) ne vel scintillam quidem veritatis complectitur. Ea quæ historici, Philosophi, aut Poëtæ tradidere, nonnihil probabilia videntur. At verborum lenocinium tolle, stulta, & vana eorum scripta apparebunt. Siquidem scripta eorum, quid aliud, quàm infinitas nugas continent? Nec in iis vel particulam veritatis quis cernere potest. Præterea si quando credis aliquid, quod veritate nititur ab ipsis prolatum, tamen semper errore & mendacio corruptum est. Quemadmodum pharmacum aliquod mortiferum, si melle, vino, aut alio quodam liquore amabili temperetur, totum inutile, & noxium redditur: sic & loquacitatis scriptorum prædictorum.]

312. Habent quoque hinc locum argumenta quibus Alphonsus à Castro *lib.* 1. *aduersus hæreses* c. 12. & *lib.* 3. *de iusta hæretic. punit.* c. 8. & 9. demonstrat patentissimam portam qua hæreses in Ecclesiam irruerunt, esse lectionem librorum à Gentilibus conscriptorum. Urget verò, quod in huiusmodi libris multa reperiantur, quæ cum fide Catholica pugnant è diametro: plurima, ut Franc. Picus *lib.* 1. *de studio diu. & hum. Philosophiæ* c. 8. docet, quæ à virtute reuocant, innumera quæ ad vitia pelliciant. Ibi proponi fratrum implacabiles iras, parentum in liberos exasperationes inconciliabiles, & iusto acerbiores indignationes, imò efferationes: liberorum vicissim monstrosa erga parentes odia, & offensiones; Deorum multitudinem, eorumdem obscenissimos amores.

313. Hoc argumentum Ludouico Viues *lib.* 1. *de tradendis disciplinis, in fine*, cum hanc rem ageret, ferè persuasit, libros Ethnicorum esse abiiciendos. [Non laudamus Poëtæ, (ait Basilus *orat. de leg. lib. Gentil.*) qui de Diis differunt, præsertim si plures, aut diuersos ponunt, minimè inter se concordés. Frater enim apud illos cum fratre contendit, & pater aduersus filios, & filius aduersus patrem insurgit. Bellum est sine præcone, adulteria præsertim, stupraque, & amores Deorum obscenos, & hos maximè Principis omnium, & Dominatoris Iouis, ut aiunt. Quæ sanè scelera si quis de feris dixerit, erubesceret. Nos illa scenæ relinquemus.] Idem *in* c. 3. *Isaia*, ad illud, & *inaures*, & *annulos*, ait has esse in aures reprobatas in Scriptura; cum familia Iacob abiecit in aures, & Aaron fecit conflatile, ac Gedeon struxit idolum, uterque ex inauribus.

314. Ob hæc, pestem bonorum morum, è libris Gentilium afflari, non dabitur Castro, nec contentus hinc appetiisse eos libros: urget præterea, errores Gentilium cum Christianis dogmatibus pugnantes. Ut inficiationem productionis rerum ex nihilo, exclusionem prouidentia, mortalitatem animæ, mundi æternitatem, aliæque sexcenta, ob quæ subornari hæreses à Philosophia, dixit Tertullianus *lib. de præscript.* c. 6. qui item in hac re mirè philolophatur *eodem lib. de præscript. cap.* 7. & perpulchè Etherius, ac Beatus *lib.* 1. *contra Elipandium*, verbis illis. [Achan de Iericho linguam auream concupiscens, pro quo irascente Domino, multi perierunt manu hostili ex populo. Atque postea ille, pro furto

facto, anathemate ab omni populo lapidari meruit, & à Domino æterna morte damnari, hoc significavit, qui in Ecclesia hæreticorum inferrent dogma, vel superstitiosa sæcularium literarum studia. Hæc est enim lingua aurea, in luculento sermone aptata. Hanc furati sunt Arius, Sabellius, Bonosus, Marcio, Basilides, Elipandus Toletanæ Sedis Archiepiscopus. Furati sunt enim isti regulas aureas de Hierico, id est, de schola seculari, & Philosophorum sectam non rectam, in Ecclesiam conati sunt introducere, & maculare omnem Ecclesiam Domini, ita vt disperderentur multi per eos. Ideoque abiecti, anathemate, quasi aceruo lapidum, id est, multitudine peccatorum oppressi, atque extincti sunt, sicut Achan aceruo lapidum oppressus ab Israël extinctus est. Cuius errore perempto, Rex Hai, hoc est, Diabolus, qui per illorum impietatem, fidelium quosdam abiecerat, iterum superatus deuincitur, atque à Populo Dei suspensus, ligni Crucis virtute occiditur. ] Expresserunt Origenem *hom. 7. in Iosue.*

Quid quoddam Gentiles Scriptores, non modò pleraque à Christianis dogmatibus aliena tradunt, sed etiam directè impetunt Christianam fidem, (non enim semper Abimelech pacatus est Isaaco, vt in hanc rem differit Orig. *hom. 14. in Genes.*) eam vel subfannando, vel impugando, & de omnibus demonstrationes exquirendo. Quod constat in exitium Christianæ simplicitatis verti, cùm mysteria nostra non possint luce demonstrationum perfundi, sed sub fidei nube lucida, (vt Damascenus *orat. de Transfig.* appellat,) perspicui debeant.

305.

Et hac ex causa, S. Diadochus *cap. 22.* profundum fidei, vocauit *aquam obliuionis*, quia facit obliuisci secularem sapientiam, vt ibi interpretatur Turrianus. Gregorius Nyss. *lib. de vita Moysi, sub initium Tropologica expositionis, pag. 22.* hanc esse ait filiam Pharaonis, cuius Moses grandis factus, se negare filium debet, cùm sit sterilis. S. item Augustinus *epist. 131.* quæ est ad Memorium Episcopum, Iuliani postea Pelagianorum signiferi patrem, cùm inaudisset filium eius, tunc Diaconum, erudiri literis secularibus, sic conclamat in eas disciplinas, quas variarum, vt ait, serui libidinum, liberales vocant. [ Quid aliud dicendum est eis, qui cùm sint iniqui, & impij, liberaliter sibi videntur eruditi, nisi quod in litteris verè liberalibus legimus, *si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Per eum namque præstat, vt ipsæ etiam quæ liberales disciplinæ, ab eis, qui in libertatem vocati non sunt, appellantur, quid in se liberale habeant, noscatur. Neque enim habent congruum libertati, nisi quoddam habent congruum veritati. Vnde ille ipse filius, & *Veritas*, (inquit,) *liberabit vos.* Non ergo illæ innumerabiles, & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina Poëtarum, vllò modo nostræ consonant libertati, non oratorum inflata, & exposita mendacia; non denique ipsorum Philosophorum garrulæ argutiæ, qui vel Deum profors non cognouerunt, vel cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor eorum insipiens, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorrupti Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, atque quadrupedum, & serpentium; vel qui istis simulacris non dediti, aut non nimis dediti, coluerunt tamen, & serui erunt creaturæ potius, quàm Creatori. Absit omnino, vt ipsorum vanitates, & infantiæ mendaces, ventosæ nugæ, ac superbus error,

rectè *liber-stes littoræ* nominentur; hominum scilicet infelicium, qui Dei gratiam per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola liberamur de corpore mortis huius, non cognouerunt, nec in eis ipsis, quæ vera sunt senserunt.]

316. Apud Origenem, extrema *homilia 2. in Genesim*, negatur bibliothecam Christianam ex libris secularibus constandam esse. Idem Origenes *hom. 4. in Exod.* huc accommodat secundam, & tertiam Ægypti plagam, S. etiam Paulinus *epist. 38.* quæ est ad Iouium, latè idem confirmat. Præmiserat ille quidem Iouium alloquens, omnium Poëtarum floribus spiras, omnium Oratorum fluminibus exundas, Philosophiæ quoque fontibus irrigaris, peregrinis etiam diues literis, Romanum os Atticis fauis implet; sed mox addit. [Esto Peripateticus Deo, Pythagoræus mundo, veræ in Christo sapientiæ prædicator, & tandem tacitus vanitati perniciosam istam inaniam dulcedinem literarum, quasi illos patriæ obliteratores de baccarum suauitate Lotophagos, vt Sirenarum carmina, blandimentorum nocentium cantus euita. Et quia licet quædam plerumque de inanibus fabulis, vt de vulgaribus aliqua prouerbiis, in vsum veri, ac ferij Sermojis assumere, dicam non literas tantum, sed & omnes rerum temporalium species, nobis esse Lotophagos, vel Sirenas. Nam & voluptatum pestifera dulcedo, patriæ nobis obliuionem facit, cum homini Deum, (qui est Patria omnium communis,) obliterat, & illecebræ cupiditatum, illam Sirenarum fabulam veritate cladis imitantur. Nam quod ille Sirenæ fuisse finguntur, id verè sunt illecebræ cupiditatum, & blandimenta vitiorum. Habent enim in specie lenocinium, in gustu venenum; quorum vsus in crimine, pretium in morte numeratur. Has oportet vltra Vlyssis astutiam cauti, non auribus tantum, sed & oculis obseratis, & animo quasi nauigio præteruolante fugiamus, ne sollicitati delectatione lethifera, in criminum saxa rapiamur; & scopulo mortis affixi, naufragium salutis obeamus.]

*Argumenta proposita excinduntur; nec nisi per  
accidens urgere demonstrantur?*

317. Non alia occurrunt, quibus libri Ethnicorum polytheismum spectantes, aliæ huiusmodi dogmata fidei nostræ aduersantia continentes, patere debere suffixioni, probare liceat. Verè tamen hæc omnia non aliud probant, quam quod initio insinuauimus; (pleniusque prosequitur Conradus Brunus *lib. 1. de hæreticis cap. 5.*) cum dixi, per se loquendo, libros Gentilium, etiam qui Polytheismum spectant, non esse confingendos: quo ipso insinuo, per accidens arteutis temporum, ac personarum, & statuum circumstantiis, aliud interdum esse statuendum, v. gr. initio nascentis Ecclesiæ, cum adhuc Christiani teneri erant, & recens ab Ethnicismo, & doctis fabulis abducti, consultissimum fuit, illis interdiceret lectione huiusmodi librorum, vt memoria Ethnicismi sensim ex eorum mentibus obliteraretur, saltémque non infingeretur penitius, sicque declinaretur periculum, vacillationis in fide, aut regressionis ad vomitum. Et id vnum spectauit, quod sanxisse Apostolos relatum est ex Clemente Romano, vt ibi benè obseruauit Carolus Bouius; sed quia nunc omne illud periculum cessauit, euiguisse quoque decretum illud, censere licet. Mutata quippe

quippè sunt tempora, & alia nunc est legentium conditio, quàm tunc esset. Et nihilominus nunc quoque, quibusdam personis indecorum planè esset, tempus consumere in huiusmodi libris peruolutandis, neglecto studio congruentiore sacrarum literarum. Quod fuit Philoni argumentum, ad exagitandam horum studiorum curam, in iam proiectis, eodemque ex capite Petrus Blesensis *epist.* 76. Clericum senem iure redarguit.

Nec aliud spectauit Concilium Carthag. cum interdixit Episcopis lectione librorum Gentilium, nempe iugi, & assidua, quæ sine detrimento pastoralis sollicitudinis, & pabuli per sacras literas ouibus subministrandi, esse non posset, & eodem modo accipienda sunt quæ habet Theophilactus *epist.* 18. scribens ad Episcopum Mementarum, (id loco nomen,) de abiiciendis Episcopo huiusmodi studiis. Id quod etiam habetur ex D. Augustino *epist.* 56. quæ est ad Dioscorum. Sanctus autem Gregorius non tam lectionem librorum Ethnicorum in Episcopo improbat, quàm magisterium, & tradendum aliis profanarum literarum occupationem. Nimium quoque studium in has literas, ex Hymone *lib.* 1. de *Christianarum rerum memoria*, damnat Choppinus *lib.* 1. *sacrae politiæ tit.* 5. n. 4.

318.

Est in eam rem locus insignis apud Hieronymum *epist.* 146. post commendatum studium librorum ab Ethnicis conscriptorum, præuia superfluorum ablatione; subdit enim in rem præsentem, [Apostolus prohibet, ne in idolio quis recumbat, dicens: *Videte autem ne hæc licentia vestra offendiculum fiat informis, si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia eius cum sit infirma, edificabitur ad manducandum idolorum, & peribit qui infirmus est in tua scientia, frater propter quem Christus mortuus est? Nonne tibi videtur sub aliis verbis dicere, ne legas Philosophos, Oratores, Poëtas, nec in eorum lectione requiescas? Nec nobis blandiamur, si in eis, quæ sunt scripta, non credimus, cum aliorum conscientia vulneretur, & putemur probare, quæ dum legimus, non reprobamus. Alioqui quale erit, ut existimemus, Apostolum, eius qui vescabatur in idolio, conscientiam comprobasse, & eum dixisse perfectum, quem sciret de idolorum manducare? Absit, ut de ore Christiano sonet, *Iupiter omnipotens, & me Hercule, & me Castor, & cætera magis portenta, quàm numina. At nunc, etiam Sacerdotes Dei, omissis Euangelis, & Prophetis videmus comœdias legere, amatoriam bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium, & id quod in pueris necessitas est, crimen in se facere voluptatis.*]*

Habet hæc locum prouerbiū apud Hebræos receptum quod memorat Drusius *de curia* 1. *adagio* 5. *Abuc Aben Zoma, foris est*; id enim prouerbiū, Moses Ægyptius in *More Nebuchim lib.* 3. c. 52. à sapientibus vsurpatum docet, de circumeuntibus domum Regis, quærentibus portam ipsius. id est, hærentibus in studiis dedecentibus ætatem, vel conditionem ipsorum: puta cum vir Ecclesiasticus, qui per ætatem Magister esse iam deberet, distinetur studiis puerilibus, & humanis. Eodem pertinet totum carmen Claudiani Viennensis Presbyteri, quod subnecti solet eius libris de statu animæ, estque ab eo exartatum contra vanos Poëtas, ad collegam annosum. Scripserat in gratiam sororis Fuscinae Alcimus Auitus iam Deo addictus, metricum opus de castitate. Contestatus autem se deinceps à iungendis pedibus & scribendis versibus, pedem

319.

A a 3

relaturum



relaturum; rationem reddit. [ Decet enim dudum professionem, nunc etiam ætatem nostram, si quid scriptitandum est, grauiori potius stylo operam, ac tempus infumere, nec in eo immorari quod paucis intelligentibus mensuram syllabarum seruando canat; sed quod legentibus multis, mensurata fidei astru-  
ctiōne deseruiat. ] Quod ille de scriptiōne ait, æquè impetit lectiōnem, sine qua scriptiō ægrè vigeret.

320. In Monacho eandem lectiōnem simili ex causa improbat Petrus Damiani *opusc. 13. c. 11.* & ex recentioribus latè Choppinus *lib. 1. Monast. tit. 3. num. 13.* Benè Isidor. *Peluf. lib. 1. epist. 63.* verbis illis. [ Quis te Comicis salibus non perstringat? Quis te non commiseretur, qui cum in Philosophiæ discipulorum Domini tranquillitate sededas, Gentilium Historicorum, & Poëtarum tumultum atque æstum tecum trahas? Quid enim, (dic quæso,) apud illos est, quod religioni nostræ sit præferendum? Quid non mendacio, ac risu scater, ex iis quæ magno studio conlectantur? An non diuinitates ex vitiosis affectiōibus? An non fortia facinora pro vitiosis affectiōibus? Quamobrem, ipsam quoque fœditatis & obscœnitatis lectiōnem fuge; (nam ea miram, ad aperienda vulnera iam cicatrice obducta, vim habet;) ne alioqui vehementiore cum impetu spiritus improbus reuertatur, ac deteriorem, & perniciosiorem tibi priore ignorantia, aut negligentia cladem inferat. ] Ad hunc locum, Conradus Rittershusius, rem problematice agitans, prolato præter ceteros Iacobo Billio *lib. 1. obseruat. sacrarum, cap. 13.* idipsum agitante, eò denique reuoluitur, vt statuatur quod hic intendimus: & astipulatur Ludouicus Viues *lib. 1. de tradendis disciplinis*, nec non Laurentius Landmeter *lib. 2. de vetere Clerico & Monacho, parte 1. c. 19.*

321. Huc item spectant illa Paulini iam à seculo transfugæ, ad Ausonium *epist. 1. metrica.*

*Quid abdicatas in meam curam, pater,  
Redire Musas præcipis?  
Negant Camænis, nec patent Apollini  
Dicata Christo pectora.  
Fuit ista quondam non ope, sed studio pari  
Tecum mihi concordia,  
Ciere surdum Delphica Phœbum specu,  
Vocare Musas numina;  
Fandique munus, munere Indultum Dei,  
Petere Fonte, Nemoribus, Iugis.  
Nunc alia mentem vis agit, maior Deus;  
Aliosque mores postulat,  
Sibi reposcens ab homine munus suum,  
Viuamus vt vita patri.  
Vacare vanis, otio, aut negotio,  
Et fabulosis literis  
Vetat; suis vt pareamus legibus,  
Lucemque cernamus suam.  
Quamuis Sophorum callida, arsque Rhetorum, &  
Fragments vatum nubilent.*

Qui

*Qui corda falsis atque vanis imbuunt;*

*Tantumque linguas instruunt,*

Sapientissimè denique Sidonius *lib. 8. epist. 4. ad Cosentium*. [ Quoties mihi tui verus à meditationis incude tanquam adhuc calidi deferebantur, sic videbatur, qui etsi non benè scribo, benè iudico. Sed quod fatendum est, talibus studiis anterior ætas iustè vacabat, seu, (quod est verius,) occupabatur: modò tempus est serua legi, serua scribi, deque perpetua vita potius, quàm memoria cogitari, nimirumque meminisse, nostra post mortem non opuscula, sed opera pensanda. Quæ quidem ad præsens non ita loquor, quasi tu non vtraque laudanda conficias: aut si adhuc in sermone lætitia, non custodiatur in actione censura; sed vt qui Christo fauente clam sanctus es, iam palàm religiosa venerandus iugo salubri colla pariter, & corda subdate: inuigile: que cælestibus linguæ præconijs, anima sententijs, dextera donarijs; præcipuè tamen dextera donarijs, quia quicquid Ecclesijs spargis, tibi colligis.]

322.

Ad idem reuocat Gerſo 4. p. *collatione de Angelis*, verbera S. Hieronymo per somnum inflictæ, de quibus in tractatione *de stigmatismo cap. 9*. Monet enim Gerſo, cam narrationem non esse referendam ad improbationem studij moderari; & personam lectoris eiusve conditionem, aut ætatem, non dedecentis: id quod non dubitat insimulare temeritatis, cum constet viros sanctissimos contrarium vsum tenuisse, & libros Ethnicorum qua par erat moderatione versasse. Quod ergo in Hieronymo reprehensum est, (vt Gerſo obseruat,) aliud non fuit, quàm nimium studium euoluendi Tullium, supra quàm ferebat conditio, & ætas, ac vitæ institutum S. Hieronymi. Qua ratione æquè in quocumque alio, nimius affectus erga libros de quibus agimus, meritò reprehenderetur, esse: que mulctâ cælitus inferendâ dignus. In eandem sententiam accipiendus est, meritò hîc videndus, Philippus Abbas *lib. de iustitia Clericorum c. 27. & tota epist. 3*. Hæc verò, (vt constat,) per accidens se habent, ad id quod generatim, & vniuersè de his libris stabilire satagimus: nempè quòd cum legentium status, aut temporum conditio aliud non fert, legi citra noxam queant.

Nec aliter occurrendum est iis, quæ ex Alphonso de Castro sunt adducta, quantum ad hunc locum spectant. Quod addo, quia quæ habet de obscenitatibus, quibus scatent plerique Ethnicorum libri, rectè omninò probant, eiusmodi libros esse confixione dignissimos. Sed iam transgredimur limites huius puncti, quo de librorum à Gentilibus conscriptorum lectione agimus; tantum quia à Gentilibus sunt editi, aut quia res Gentilium prosequuntur. De illis verò qui fœda continent, indubitatum est, exterminandos esse, sed alio ex capite quàm Ethnicis, à quo nunc aduicta iam luce Christianitatis, nulum impendet periculum puritati fidei, vel bonorum morum; sicut impendet à libris spurcis cuiuscumque sint auctoris, siue Ethnici, siue Christiani.

323.

Eandemque ob causam, quamuis libri hæreticorum ob impendens ab eis periculum prohibeantur, non tamen libri Ethnicorum, de quibus agimus. Quò spectat pronunciatum Isidori *lib. 3. de summo bono, cap. 13. num. 12*. [ meliores esse Grammaticos, quàm hæreticos; hæretici enim haustum lethiferi succi, hominibus persuadendo propinant. Grammaticorum autem doctrina, potest

324.

potest etiam proficere ad vitam, dum fuerit ad meliores usus assumpta. ] Sumit *Grammaticos*, pro tractatoribus rerum Gentilium. Quo pacto etiam S. Gregorius S. Desiderium Viennensem, ob traditam *Grammaticam*, id est, litteras humaniores increpauit. Qua ratione Seneca *Epistola* 88. *Grammaticum* circa sermonem, historias, & carmina, distineri affirmat. Similique modo Nazianz. *orat.* 29. num. 40. commendans S. Basilium, ait: [ Quis in *Grammatica* quæ linguam ad Græcismum format, historias colligit, metris præest, carminibus leges præscribit, cum eo comparandus? ] Secernitque ibi diserrè, *Grammaticam* à *Rhetorica*, & *Philosophia*: ut & Isidor. *lib.* 3. *epist.* 65. quod alij plerunque non seruarunt. Nam Petrus Damiani *lib.* 8. *epist.* 8. *initio*, Christum esse ait suam *Grammaticam*; id est, suam facundiam. Et latè *opusc.* 13. c. 11. cum differit aduersùs Monachos studentes *Grammaticæ*, hoc est, literis humanioribus. Thomas verò Cantiprat. *lib.* 1. *Apum* c. 8. *Grammaticam* usurpat pro doctrina, [ Antiquam, ( inquit, ) nota lector *Grammaticam*. ] Ad quem locum Coluenerius adducit quoque Godescalum Hollen. *serm.* 1. in 3. *Decalog. præceptum*, similiter usurpantem nomen *Grammatica*. Imperitia libratorum, pro *Grammatica* mensurationes spectante, legitur plerunque *Grammatica*, ut notauit Pithœus *lib.* 2. *aduersar.* c. 14. In epistola Pauli Papæ ad Pipinum Regem, ( quæ in epistolarum Pontificiarum collectaneis à Gretsero editis est vigesimaquinta, ) ait Pontifex, se inter cætera quæ rogabatur, mittere *Grammaticam* Aristotelis, quod Gretserus ibi, accipit pro *Dialectica*. Protrita notio est, qua ad infima studia id nomen aptatur. In qua notione pulchrè iocatur Blesensis *epist.* 171. & 172. lugens vita functum *Grammaticum*. Quamquam libros quoque Poëtarum, quos à Nazianzeno & Isidoro, *Grammaticis* adscriptos vidimus, idcirco dictos *Grammaticos* censet Abailardus *lib.* 2. *intrad.* c. 2. quod pueris prælegerentur, & in iis literariam veluti infantiam ponerent. Quamuis igitur libri hæreticorum prohibeantur; non tamen horum *Grammaticorum*, quia ipsi nunc nocere non possunt.

325. Denique autoritas Patrum, qua libri de quibus agimus, impetebantur, tantum spectat adiuncta illa per accidens, à quibus hæcenus vidimus posse meritò interdum improbari horum librorum usum. Nominatim verò S. Paulinus, non tam Ethnicorum libros damnat, quàm errores quos Iouius inde hauriebat, de fato, & negatione prouidentia. Vnde in *epistole fine*, sic Iouium affatur. [ Patior ex copia tibi in nostris quoque studiis possidendæ Philosophorum facundia, dum aduersam veris desinas amare sapientiam. Melius enim tenere te potiùs quærentem diuina, quàm quærere disputantem. Mitte illos semper in tenebris ignorantia volutatos, in contemtionibus erudita loquacitatis absumptos, & altercatione vesana cum suis phantasmatum famulatos, semper quærentes sapientiam, & nunquam inuenientes, quia quem nolunt credere Deum, intelligere non merentur. Tibi satis sit ab illis linguæ copiam, & oris ornatum, quasi quædam de hostilibus armis spolia cæpisse; ut eorum nudus erroribus, & vestitus eloquiis, fucum illum facundia, quo decipit vana sapientia, plenis rebus accommodes: ne vacuum figmentorum, sed medullatum veritatis corpus exornans, non solis placitura auribus, sed & mentibus hominum, profutura mediteris. ]

Quare

Quare non damnat Paulinus absolutè lectionem librorum Gentilium, siue ad humaniores literas, siue ad Philosophiam spectantium, sed abusum. Nominatim quoque Philosophicos libros, etiam Ethnicorum, non esse Theologo accersandos, fusè prosequitur Iulius Rugerius *lib. de auditore Theologia c. 5.* Non plura de libris Ethnicorum spectantium Polytheismum, vel aliqua tradentium religioni Christianæ aduersantia, nulla facta mentione ipsius Christianæ religionis, eiusque dogmatum.

*Utilitas è libris quorundam Gentilium mordentium res Christianas.*

Minus timendum est à libris Ethnicorum, quibus res nostræ deridentur, aut impugnantur. Quis enim cum apud Lucianum, Eunapium, Iulianum, Simplicium, Epictetum, scommata in religionem nostram intorra legit, vel alicuius Christianæ veritatis impetitionem, præ Ethnica aliqua fabulositate; labascit in ea fide, quam Christianis mysteriis adhibebat, cum ad legendum accessit? Imò inde non exigua rerum nostrarum confirmatio haberi potest, non tantum quia facta contentione nugarum & spurcitiarum Ethnicarum, Christiana doctrina sanctior occurrit; quo ex capite res nostras maximè confirmare solent, qui pro fide nostra egerunt, præsertim Clemens Alexandr. atque Arnobius: sed etiam, quia eo ipso quòd ea, quæ nunc credimus, à Gentilibus ridentur, aut refelluntur, argumentum idoneum est ac certum, fidem Christianarum præcorum, idem habuisse, quod nostra nunc habet.

326.

*Locus Eunapij.*

Sic ex cœnosissimo apud Eunapium loco, in Edesio, quem placet veluti specimen proferre, multa colligimus ad veritatem Catholicam spectantia. Ita habet. [ In sacra loca inuexerunt *Monachos*, sic dictos; homines quidem specie, sed vitam turpem porcorum more exigentes; qui in propatulo infinita atque nefanda scelera committebant; quibus tamen pietatis pars videbatur sacri loci reuerentiam conculcare. Nam ea tempestate, quiuis atram vestem indutus, quique in publico, sordido habitu spectari non abnebat, is tyrannicam obtinebat auctoritatem: in eam virtutis opinionem venerat id genus hominum. Illi ipsi, *Monachos*, *Canopi* quoque collocarunt, ut pro Diis qui animo certantur, seruos, & quidem flagitiosos, diuinis honoribus percolerent, hominum mentibus ad cultum ceremoniasque obligatis. Hi namque salita, & condita eorum capita, qui ob scelerum multitudinem à iudicibus extremo supplicio erant affecti, pro diuis ostentabant; iis genua submittebant; eos in Deorum numerum receptabant, ad eorum sepulchra sordibus, & puluere conspurcati. In his nonnulli *Martyres*, nonnulli *Diaconi*, & *Legati*, *arbitrique precum apud Deo*, nominabantur, cum fuerint seruitia infida, & flagris pessimè subacta, & quæ cicatrices scelerum, & nequitiae vestigia, corporibus circumferrent. ] En quàm multa in rem Catholicam eximia, in hominis Ethnicissimi bacchatione in Christianos: quem recens tunc facta templi Serapidis sub Theodosio eversio, pessimè habebat. Habemus inde professionem Monasticam, & vestem Religiosam pullam, atque abiectam, honorem SS. Martyribus exhibitum, cul-

327

B b tum

tum reliquiarum, intercessionem Sanctorum, pro nobis. Vah! quantus thesaurus est fauilla illa, imò serobe lutulentissima hauritur; ut gaudendum propè videatur, rabiosum illum sic insaniuisse.

*Ex Zozimo, Rutilio, varia.*

328. Similiter ex Zozimi in Monachos furore, quem *lib. 5. historia* prodidit, illustre testimonium habemus pro veterum cœnobiorum redditibus. Ait enim. [ *Monachi* qui vocantur, hi legitimis nuptiis abstinent, & tam in vrbibus, quàm in vicis, populosa collegia complent hominibus non maritatis, nec ad bellum, nec ad alium Reip. vltum necessarium idoneis; nisi quòd via *astutia* quadam progressi, ab eo tempore in hunc vsque diem, magnam agrorum partem ad se transtulerunt, & sub prætextu quasi pauperibus omnia communicent, omnes, (propè dixerim,) ad inopiam redegerunt. ] Eadem est Iuliani Apostatæ calumnia *oratione 7.* Nec mitius de Monachis statuit in suo *Itinerario* Rutilius, simili fructu legendus. Sic enim habet *lib. 1.*

*Processu pelagi iam se Capraria tollit.*

*Squalet lucifugis, insula plena viris.*

*Ipsi se Monachos, Graio cognomine dicunt;*

*Quòd soli nullo viuere teste volunt.*

*Munera fortuna meruunt, dum damna verentur,*

*Quisnam spontè miser, ne miser esse queat?*

*Quenam peruersi rabies tam stulta cerebri,*

*Dum mala formidet, nec bona posse pati?*

*Sine suas reperunt ex fato ergastula pœnas*

*Tristia, seu nigro viscera felle tument.*

*Sic nimia bilis morbum assignauit Homerus;*

*Bellerophontæis sollicitudinibus.*

*Nam inueni offenso, scui post tela doloris,*

*Dicitur humanum displicuisse genus.*

Hoc inferius, de vno quodam ciue suo, in alia insula Monacho specialiter queritur, sic canens.

*Assurgit ponti medio circumflua Gorgon,*

*Inter Pisanum Cyniacumque latus.*

*Aduersus scopulos damni monumenta recentis,*

*Perditus hinc viuo funere ciuis erat.*

*Noster enim nuper inuenis, maioribus amplis,*

*Nec censu inferior, coniugiove minor.*

*Impulsus furis, homines diuosque reliquit,*

*Et turpem latebram, credulus exul agit.*

*Infelix putat illuue cœlestia pasci;*

*Séquo premit, læsis seuior ille Deus.*

*Num rogo deterior Circæis seeta venenis?*

*Tum mutabantur corpora, nunc animi.*

329.

Tolle hoc Rutilij opus quo passim mordentur Christiani; vnâque insignem sanctitatis ac professionis monasticæ. expreſsionem exinde. Quinetiam eadem opera.

opera, Confessionem luculentam victoriæ crucis ab hoste expressam vi veritatis, erades. Sic enim canit de Iudæis, hoc est, de Christianis; quia salus ex Iudæis, commiscens, & candidè profitens disseminazione Christianismi per orbem, perditum Ethnicismum.

*Atque vitinam nunquam Indæa subacta fuisset,  
Pompei bellis, imperioque Trii  
Latius excisa pestis contagia serpunt;  
Victorésque suos, natio victa premit.*

Non ausus Christianis Imperatoribus orbem regentibus, mutire in Christianos, sub Christiano nomine, *Iudæos* vocat: quod æquè, (alia licèt ex causa,) ab Epicteto factum, apud Arianum *lib.2. differt.9.* & ab aliis eiusdem ævi Ethnicis non semel.

*Item ex Vlpiano, & Aurelio Victore, ac Luciano.*

Domitius Vlpianus *de officio proconsulis lib.7.* rescripta Principum nefaria adversus Christianos collegit, Lactantio teste *5. instit. c.11.* nec plenè interciderunt eæ leges; sed quamvis ad declinandam Christianorum temporum invidiam, Tribonianus ex eis Christianorum nomen expunxerit, superlunt tamen plurimæ passim in Pandectis, vt *l.6. ff. ad l. Iuliam peculat. l.8. ff. ad l. Cornel. de falsis l.5. ff. de pœnis l.4. ad l. Cornel. de sicariis, l.6. ff. ad l. Iuliam de vi publ. l.1. ff. ad l. Iuliam maiest. l.7. ff. de accusatio.* Has hominis in Christianos truculentissimi operum reliquias, tolle; ynâque insigne trophæum religionis Christianæ, quod toties PP. statuunt, aboleueris; Indicem, inquam, exhaustæ in Christianos pharetræ Satanæ. Aurelius Victor, vt testatur Sanctus Hieronymus *epist. ad Paulum Concordiensem*, etiamsi Christianis infensus, tamen ad notitiam persecutionum Christianis illatarum, commodus lectus est; eaque ex causa, lectum à se testatur ea epistola S. Hieronymus.

Similiter, quia apud Lucianum legimus fannas Momi illius *in Vnum tria, & Tria vnum*, vt videre est *in Philopatriade*. Itémque legimus iuramentum quod ibi concipit, [*per Deum altè regnantem, magnum, ætherium, atque æternum, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, vnum ex tribus, & ex vno tria. Hæc tu Ionem puta, hunc existima Deum.*] Quia, inquam, hæc apud illum Christianorum subsannatorem legimus, optimè inferimus, priscos illos Christianos eadem nobiscum de augustissima Triade sensisse. Ibidem paulo pòst ex verbis illis. [*Quando me Galilæus ille convènit, recaluaster, naso iusto præditus, qui in tertium vsque cælum per aërem ingressus est, quæque optima, & pulcherrima sunt, inde didicit, per aquam nos renouavit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit.*] Ex illis, inquam, verbis, vel potiùs fannis per scurram illum, in Gentium Doctorem Sanctum Paulum intortis, apertè habemus, imagines Sanctorum, in Ecclesia antiqua fuisse in vfu. Inde namque scurra ille, cum inter Christianos versaretur, effigiem Apostoli, animo expressam retulerat. Docètque præterea locus ille, sensum veteris Ecclesiæ, de renouatione hominis, & sanctificatione, per Baptismi Sacramentum, In Dialogo de morte Peregrini, locus est illustris, ad perspicendum, quanta cura Christiani operibus misericordiæ, præsertim circa Martyres designatos, insisterent. Quam summam curam, vix alibi vspiam, apud

330.

331.

nostros, habemus magis expressam, quàm apud hunc nebulonem, à quo effusè ridetur, sed hoc nobis ioci eius, & sales profuerunt, ut à ridente, praxim Ecclesiæ antiquæ, sanctissimam, & omni studio imitatione exprimentam disceremus. Tametsi admitto, ut Lucianus legatur, quoad aliquos Dialogos, auctoritatem maiorum interuenire oportere.

*Probra in nos Gentilium, magno vsui in rem Christianam.*

332.

Apud Tertullianum c.7. & 9. *Apolog.* & Minurium n. 11. ac Eusebium 5. *hystor.* c. 1. appositio infantis farre contacti, & cibatio ex eo Christianorum, toties ab Ethnicis obiecta Christianis; item adoratio Cereris, & Liberi per Christianos, teste Augustino *lib. 20. contra Faustum* c. 13. argumentum est veritatis mysterij Eucharistiæ, de quo per umbram aliquid perspexerant Gentiles, siue ex lectione librorum nostrorum, siue ex fide alicuius transfugæ, siue ex incomposita per aliquem fidelem, profusione sermonis. Culus virilium Sacerdotis, ab Ethnicis exprobratus nostris, ut refert Minutius, spectat haud dubiè ad Sacramentum pœnitentiæ à Christianis frequentatum, accidendo ad Sacerdotum genua. Peruicaciam, & inflexibilem obstinationem, exprobrant Christianis, Plinius *lib. 10. epist. 97.* & Epictetus apud Arianum *lib. 4. cap. 7.* ac Galenus *lib. 3. de differ. pulsuum*; quòd cum possent, externa saltem specie, fidem abnegare; perstarent tamen, nec cogi possent ad eiurandam fidem, vel in speciem. Docemur ex ea firmitate; quam hi *obstinationem* vocant, quàm sit durandum in sincera fidei confessione, Christianorum vsum de horis Canonicis publicè recitandis, exprimi imitatione à suis, voluit Iulianus Apostata, ut refert Sozomenus *lib. 5. c. 15.* Idque ex eius Epistola. In eam qui incurrit, habebit argumentum pro horis Canonicis ex vetere vsu.

333.

Ammianus Marcellinus, (& ipse Scriptor Ethnicus.) in Romanorum Pontificum maiestatem, genuinum infixit *lib. 27. num. 2. in fine*, verbis illis post descriptas S. Damasi & Ursicini schismatici de Romano Episcopatu, contentiones. [ Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans vrbatarum, huius rei cupidos ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere: quum id adepti, futuri sint ita securi, ut dicentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes circumspectè, epulas curantes profusas, adèd ut eorum conuiuia Regales superent mensas: qui esse poterant beati reuera, si magnitudine vrbis despecta quam vitii opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam Prouincialium viuerent, quos tenuitas edendi potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia perpetuè, numini, verisque eius cultoribus, ut pueros commendant, & verecundos.] Iungendus est locus ex *lib. 15. num. 6.* vbi de summa æternæ vrbis Episcoporum auctoritate. Inde discimus, quis iam olim sensus fuerit Christianorum de suprema Romani Pontificis auctoritate in Ecclesia Dei, nec dedecere Ecclesiasticum Principem, opes, & externum apparatus, dignitati illi commensum habere. Sicut etiam ex eo quod varij Ethnici, sed maximè Zozimus, Constantinum ob rem Christianam ab eo amplificatam, ditata templa, passim mordent, docemur quo loco

loco apud Christianos tunc fuerit locupletatio Ecclesiarum, in quam nunc adeò fremunt sectarij. Quanti porro facienda sint, hæc pro veritate testimonia ex fidei hostibus petita, quàmque gloriosum sit, eo telorum genere hostes confodere, tradit pulcherrimè Eucherius *hom. 2. de Pasch.*

*Mendacium ea ratione proficit  
veritati.*

334

Liquet igitur, tantum abesse, ut Gentilium libri, de quibus egimus, cum damno legantur, ut potiùs prodesse non parum possint. Et quod fecisse è libris nostris Porphyrium iure detestatur Pisidas, quum dixit, eum prata nactum, asperos messuisse rubos; nos è contratio cum Theodoro *lib. 3. contra Grecos*, è libris huiusmodi fidei hostium, cum laude faciamus, carpentes de tribulis ficus, & cibum de comedente, ac de caduere Leonis prostrati fauos, & mella. Neque verò qui ad hunc modum nostra confirmaret, in eam reprehensionem incurreret, quam aliquos subiisse scimus, testimonia pro Christo, & rebus Christianis, petendo è Gentibus: cuiusmodi ille fuit, quem Phorius eam ob causam arguit *cod. 179*. Qua etiam ratione, Marcellum Ancyranum, (iure, an iniurià nunc non quæro,) valdè reprehendit Eusebius *lib. 6. aduersus eam cap. 2. in fine*, & rursus *cap. 3.* quòd res Christianas petitis è profana literatura observationibus, illustraret. Sanctus item Augustinus *13. contra Faustum c. 15.* infirmam esse rerum nostrarum probationem quæ ex Gentilium autoritate petitur, disertè prodit. In Martino Kemnitio inter Lutheri combibones strenuissimo, id ipsum capit Stapletonus *lib. 12. de princ. fidei cap. 14.* Et in Eugubino Pererius *lib. 1. in Genes. cap. 1. versu 1. num. 23.* Videndi item quos præterea profert Sandæus in *Theologia varia lib. 2. commentat. 10. exercitatione 11.* Non est, inquam, similis, ea pro Christianis rebus ex Ethnicorum scriptis argumentatio, illi alteri, quam à Phorio & cæteris improbatam diximus. Quin potiùs hanc, quam commendamus, vsurpantes, monstramus, (quod S. Hieronymus *epist. ad Magnum*, de Iuliano Christianam religionem impugnante, scitè dixit,) eos iuxta fabulas Poëtarum, suo se ense lacerare. Quare non esse libros Gentilium, de quibus egimus, configendos, ratum esto. Imò ad hunc modum ex infœcundis lignis succis, machinas in aduersarios ipsos struimus, ut benè philosophatur Giselbertus in *Altercat. Synag. & Eccles. cap. 12. pag. 67.*

Si tamen aliquem Ethnicum librum refodi contingeret, à quo nulla rebus nostris utilitas sperari posset, sed iure timeri deberet merum damnum, tunc locus esset iustæ suffixioni: nec tam nouaculam radendis eius superfluis, quàm securim ad cædendum eius caudicem adhiberi oporteret. Sed profectò, si in quem Ethnici Christiana sugillantris librum censura rectè caderet, in scriptiones Symmachi & Themistij de Religionis cuiusvis indifferentia aptius caderet, quàm in alias plerasque in speciem nocentiores. Nunc enim error quem illi adulta iam Christianitatis luce Ethnicismo indormientes stabiliebant, perniciosissimè serpit. In cæteris, sufficit nouacula, radens superflua.



## Patrum allegoria in rem propositam.

335. Quod enim ex S. Hieronymo *epistola* 84. ad Magnum, post Origenem *homil.* 7. in *Leuit.* vulgatissimum est, libri Ethnicorum, eraso quicquid in eis emortuum est, idololatriæ, voluptatis, erroris; id est, firmato aduersus ea omnia mentis assensu, vtiliter contrectantur. Quo Patres prædicti, necnon Blesensis *epist.* 8. & Petrus Damiani *opuscul.* 13. c. 11. accommodant quod *Deuter.* 21. præcipitur, de capite, ac superciliis captivæ mulieris radendis, omnibusque toto corpore pilis, & vnguibus amputandis, priusquam in coniugem assumatur. Similiter enim, resecto ab Ethnica literatura, ad modum prædictum quouis emortuo, fas est Christiano, copulari eidem captivæ doctrinæ, (quam in iniustitia detinent eduersarij;) & vernaculos ex ea Domino Sabaoth procreare. Huius sapientiæ typus, ait alio loco Hieronymus, (nempe *epistola* 146. quæ est ad Damasum, agens de siliquis porcorum, quas signare ait libros, & doctrinas Ethnicorum,) & in Deuteronomio sub mulieris captivæ figura describitur; de qua vox diuina præcipit, vt si Israëlites eam habere voluerit vxorem, caluitium ei faciat, vngues præsecet, & pilos auferat; & cum munda fuerit effecta, tunc transeat in victoris amplexus. Hæc si secundum literam intelligimus, nonne ridicula sunt? Itaque & nos facere solemus, quando Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis. Si quid in eis vtile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus: si quid verò superfluum, de idolis, de amore, de cura secularium rerum; hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc in vnguium morem, ferro acutissimo defecamus.]
336. Exitum filiorum Israël expilatis Ægyptiis, in hanc rem interpretatur S. Aug. 2. *doct. Christ.* cap. 18. & 40. ac Blesensis *epist.* 91. & optimè S. Cytillus *lib.* 1. de *ador. ferè in fine*, cum de structo, & ornato è spoliis Ægyptiorum, tabernaculo Hebræo. Qui item in hanc ipsam rem præclare disserit *lib.* 7. de *Adorat. ad finem libri*. Ad hoc item negotium, Gregorius Nilisus *lib. de vita Moysis*, accommodat allegoricè circumcisionem filij Sephoræ, docens id pertinuisse ad monstrandum, faciendam esse Christiano circumcisionem Ethnicæ literaturæ. Orig. *hom.* 5. in *Leuit.* hanc esse, ait, oblationem super fermentato.
337. Nec caremus vsu & praxi Sanctorum, hæc in parte. Ipsum Apostolum, librorum Ethnicorum plagulas protulisse constat: vsurpasse, inquam, Epimenidis, Callimachi, Menandri, ac Arati loca; & vsurpando, ea sanctificasse, vt dixit Orig. *hom.* 39. in *Lucam*. [Secularem versum assumens, (ait S. Hieronymus *epistola* 8. de versu allegato 1. *Cor.* 15.) fecit Ecclesiasticum. Sanctos item Patres & Doctores in Ecclesia Christiana celeberrimos, prodere se in eorundem Ethnicorum libris versatissimos, monstrat diligenter ac sigillatim S. Hieronymus *dicta epist.* 84. cum ei Calpurnius cognomento Lanarius, id est, æmulus Ruffinus, per Magnum obiecisset, cur Ethnicorum sordibus candorem Ecclesiæ pollueret, & de Poëtarum ac Oratorum & Philosophorum Ethnicorum scriptis, diceret. Nominatim verò Origenem, suis autorem fuisse, vt demptis Atheorum libris, omnes omnium, & Poëtarum & Philosophorum libros peruolaret, Greg. Thaumaturgus autor est, in *Charisteria*: qui id ab eo sapienter esse factum agnoscit. Ad in veteri lege seruasse Danielem, & ante legem, Mosem, notat S. Basil. *orat. de legendis*

legendis fructuosè libris Gentilium, & Beda in allegoricis expositionibus Samuëlis. De Mose rursus, ac Isaia, & Paulo, S. Gregorius lib. 5. in 1. Reg. cap. 3. in fine. De Isaia, Hieremia, & Paulo, idem habet S. Ambrosius lib. 3. de fide c. 1. In hanc rem luculenta extat disputatio apud Rupertum, bona parte libri 7. de operibus Spir. sancti à cap. 10. & apud Socratem lib. 3. histor. c. 14. occasione edicti Iuliani, quo veritus Ethnicam fabulositatem deprehensum, & conuictum facile iri à Christianis, si libros Ethnicorum euoluerent, interdixit illis lectione librorum Gentilium: quod edictum extincto mox Iuliano euanuisse, meritoque non vulgarium modò maiorum, sed etiam ipsius Apostoli exemplo & vsu, Christianos resumpsisse libros Gentilium demonstrat *ibidem* Socrates.

Sic nimirum insitio fit Ethnicarum literarum cum Christianis, quod Clemens 6. *strom.* omninò egregiè, faciendum monstrat verbis illis post disciplinarum humanarum collationem cum oleastro, Christianarum verò cum olea fatiua. [ Plus, (inquit,) nutrimenti accipit inserta olea, propterea quòd sit plantata in agresti. Assuefit autem veluti concoquere nutrimentum, dum assimilatur pinguedini fatiua. Sic etiam Philosophus, qui agresti olea assimilatur, cum multa habeat non cocta, propterea quòd & lubenter inquirat, & facile assequatur, & pinguedinem appetat veritatis; si per fidem, diuinam acceperit virtutem, in bonam & mitem infertus cognitionem, tanquam oleaster insirus in sermonem verè pulchrum, & misericordem, & quod traditur nutrimentum concoquit, & fit bona, & fatiua olea. Insitio enim eas quæ erant steriles, cogit esse fertiles, arte agriculturæ; & scientia quæ est ex cognitione. ]

Pulchrè denique Petrus Blef. *epistola* 1. [ Si causa publicæ eruditionis, aliqua de libris Gentilium fuerint interferta, vobis in fastidium non verratur. Nam & Dauid de diademate Melchom, idoli Ammonitarum, sibi diadema composuit. Et Paulus Apostolus ad improperium Galatarum, quandoque versus Homericos eleganter apt auir ] Pleniùs etiam *epist.* 8.

## EROTEMA XII.

*Saracenorum libri an ferendi, præcipuèque Alcoranus.*

Gentilium libris subnecto libros Saracenorum atque Turcarum. Quod Genim Petrus Cluniac. in *summa contra sectam Ismaëliitarum* rectè aduertit, annuuntque Vgolinus de *casibus Papa referu.* 2. p. c. 1. §. 1. num. 3. Simancas in *Instit. tit.* 39. n. 4. & Sanchez in *Decalogum* lib. 2. c. 10. num. 22. quamuis Saraceni, seu Turcz, interdum vocentur hæretici, quia aliqua nobiscum credunt; alia respuunt, rectiùs tamen Ethnici censentur, quia neque Baptisum quem Christus Ecclesiæ suæ ianuam constituit, neque vllum prorsus Christianum Sacramentum vsurpant; quod nullus vnquam fecit hæreticus.

Nota